

788⁰¹
HKA

81

Q. D. B. V.

ERUDITUM
Θ AYMAΣTON

IN ÆTATE TENERA,

Eruditissimo Philosophor. Lipsienſium

conſentiente Senatu,

ERUDITIS,

ut publicam examinandi materiam,

DISSERTATIONE PRIORI

exhibent

die III. Jun. A.O.R. M.DC.XCVI.

M. JOHANNES Gottlob Pfeiffer
Miſenenſis,

&

JOHANNES Gottfried Meßner / Neukircha-
Luſat. Philoſ. Baccal. & SS. Theol. Cultor.

H. L. Q. C.

LIPSIAE, Typis GOEZIANIS.



Biogr. erud.

C.
308,4

Kath. Theologie, M. Meßner, Vol. II, Leipzig, 1766, 2. Aufl., 1766

ERUDITO ERUDITORUM ÆSTIMATORI
V I R O

*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo, Doctis-
simoque*

DOMINO
THEOD. VVERNERO,

Potentissimi Electoris Saxoniae in Senatu Ipsius
sanctiori, qui Dresdæ sacra moderatur,

SECRETARIO

longe meritissimo, dignissimoque,

*Domino Patrono, Macenati, Studiorumque suo-
rum Promotori ad ultima fata deve-
nerando,*

Eruditum suum Θαυμασὸν

sacrum esse jubet

AUCTOR.



I. N. J.

P R Æ F A T I O.



Um benignissimus ac summus omnium rerum rector atque gubernator DEUS singularum creaturarum, quas unquam sol aspexit, ne vilissimis quidem & minutissimis exceptis, curam indefessam gerat, absque qua si esset, ne momentum quidem oculi ulla creaturarum subsisteret, sed in pristinum suum chaos, quinimo ipsum primum illud nihilum esset relapsura; tum homines præcipue rationis divinique characteris participes singulari omnes, singularissima tamen inter eos adhuc ratione atque cura Eruditos semper, præsertim veræ infucataeque pietatis laude simul conspicuos, fovisse, historiæ monumenta tum sacra tum profana loquuntur. Quandoquidem enim per pios Eruditos, tanquam per salutaria sibi accommodatissima instrumenta hoc Universum, quicquid est, moderetur ac gubernet DEUS, nec minus Ecclesiam suam, quam universas terrarum orbis Respublicas in flore suo per eosdem tueatur ac conservet, ita ut tum demum beatas fore & Respublicas cum veteri illo Philosopho, & paucis immutatis, Ecclesiam Christianam ipsam recte fortassis dixeris, si aut viri eruditi, quibus veræ pietatis studium simul curæ cordique est, easdem regerent, aut qui ad clavum utriusque Reipublicæ sedent, Literarum culturam cum
A 2 incul-

inculpatis moribus indissolubili nexu constringerent atque copularent ; hinc pios hujusmodi Eruditos tanquam peculiare suum κειμήλιον in oculis quasi atque sinu gestare, & peculiari- bus fati, quæ per omnem vitam isti DEO dilecti sunt experti, tanquam certis quibusdam interpunctionibus, à reliquo hominum cœtu segregatos in altissima veluti specula omnium obtu- tui atque admirationi exponere decrevit. Scilicet ut nobilio- ris familiæ flores atque arbores, quæ vel colorum varietate, vel odorum, quos exhalant, suavitate, vel alia quadam insita vi atque virtute se præ aliis commendant, distinctis signis, vel scheda quadam affixa, vel numero rubra ducto, vel stipite frutici appo- sito, memoriæ mandare, easdemque frequentius, quàm alias plantas, respicere atque purgare solet hortulanus, de ignobili- oribus baccarum florumque speciebus, ut vacciniis, violis, hu- mique serpentibus hederis, sine ordine, sine lege, atque haud di- stinctis areolis propullulantibus, incurius quasi, aut minus tamen sollicitus: Aut quemadmodum ille supremus stellarum arbiter DEUS sidera lucidissima, quæ vates cœlique periti Stellas pri- mæ magnitudinis communi nomine salutant, singulari prorsus face fulgoreque aureo scintillare, orbemque sublunarem flam- mis suis irradiare jussit, nebulosis interim stellis æternis ac perpetuis, quod ipsum nomen indicat, nebulis ac tenebris se- pultis atque obfuscatis; sic idem Numen indulgentissimum Si- deribus illis terrestribus, quæ influxu suo salutifero reliqua ve- lut humi nascentia fœcundant, vitalemque iis calorem quasi af- fundunt, Viris scilicet eruditionis atque pietatis radiis illustri- bus, per peculiaria, quæ immisit ipsis, fata, peculiarem quoque impresit characterem, per quem velut per acutissimos radios homines plebejos aliosque, penitus mysterium illud introspi- cientes, admirabundos prosternerent, eorumque tametsi aqui- linum retunderent atque hebetarent mentis visum. Quan- tumvis vero alius in Vitas Virorum Literatorum, a doctissimis quibus-

quibusque literarum monumentis consignatas, exspatiaturus, ex
tam uberrimo rerum campo non unam atque alteram spicam
evellere, vel manipulum colligere, sed plenam hujusmodi sin-
gularium factorum, quæ Viris eruditis in ætate tenera, adultaque
atque decrepita passim miranda acciderunt, demetere possit
messem; mihi tamen meo me semper metienti modulo nec
licuit, nec libuit esse tam audaci, ut tam longum iter, tametsi vi-
olis & rosis plenum, in præsentem conficere sustinuissem; quin po-
tius cum semel iter istud ingredi mecum constitueram, in limi-
ne potius substiti, præsertim cum in ipso aditu tanta mihi rerum
memorabilium atque θαυμασίων, quas de Eruditorum infantia
atque pueritia ipsorum Vitæ Autores, utut perpauci a me jam
evoluti, scriptis reliquerunt, obvenerit multitudo atque mate-
ria, ut eam tam exiguis unius Dissertatiunculæ limitibus circum-
scribere me posse ferme desperarem. Et quamvis multi fortas-
se sint futuri, qui præsentem nostram materiam, tanquam rem
levissimi atque puerilis plane argumenti, vilissimique adeo in-
genii alto supercilio despiciant, nucesque nostras Literatorum
pueris relinquendas esse dicant, multos tamen & forsan emun-
ctioris naris politiorisque literaturæ homines nostrum de infan-
tia Eruditorum qualitercunque bene merendi studium beni-
gnius interpretaturos & paginulas istas, utut rudi Minerva exa-
ratas, quibus has Eruditorum nuces offerimus, benevola men-
te manumque accepturos esse, nulli dubitamus. Quod si enim
veterum & adhuc superstitem diligentissimorum antiquitatis
investigatorum in conquirendis atque multo auri argentique
pondere interdum coëmendis Eruditorum reliquiis atque su-
pelledile solertiam industriamque jure quis laudaverit, cur ipse
in colligendis, inque unum agmen quasi coacervandis eorun-
dem Eruditorum crepundiis sim vituperandus, perspicere uti-
que non possum. *Equidem nunquam pigendi res operis (sunt
verba Boecleri a) visa est scriptoribus, magnos viros etiam ea par-*

te, qua minores erant, describere. Et licet nil solida certaue
laudis prima hominum atas habeat, videas tamen, nescio cuius gra-
tia commendatione, libenter eam & attente, sicut in scena primus
fabula actus solet, ab omnibus spectari cognoscique. Cujus rei vi-
deo mihi in ipso mentis humane studio affectuque originem reperisse,
quam nihil eque advertit, adversamque retinet, ac pratervecti tem-
poris recordatio, venturi autem expectatio. Utrumque complecti-
tur instituta in virilibus praeconiis adolescentiae commemoratio. Huc-
usque disertissimus Boeclerus. Certe si ex ullo aliquo opere,
ex hac sane admiranda eruditorum puerorum sorte, qua cum
his Eruditis lusit in infantia divina Majestas, ipsius Omnipoten-
tia, Omniscientia & imprimis specialissima ejus circa homines
Providentia clarissimis radiis, ut sic loquar, elucescit. Ut ta-
ceam, quod ad instar *Godofredi*, Ducis Lotharingiae, qui cum
infans in cunis vagiens de arbore editiore dependeret, appposito
vexillo, *Brabantinis* tantum vagitu suo inspirabat animum, ut
etiam de hostibus *Grimbergensibus* victoriam deportarent, β)
nobis quoque spes subnascatur, multos ad Apollinis vexillum
nomen jam professos, vel adhuc professuros, eademque vel
non admodum dissimilia cum Eruditis nostris sortitos fata, con-
spectu cuniarum istarum, quas plurimas longo ordine jam
suspensuri sumus, in proposito suo laudatissimo, ringente licet
fortuna, nec obstantibus huic adversis ejus insultibus, strenue
posthinc in Musarum castris stipendia merendi, non parum con-
firmatum iri. Ut autem *Eruditos istos* $\Theta\alpha\upsilon\mu\alpha\varsigma\delta\varsigma$ in aetate te-
nera, cum sint diversi status atque conditionis, certo ordini ad-
stringamus, atque sic distinctis classibus divisos accuratius ipsos,
& quid in ipsis admiratione dignum maximè occurrat, perlu-
strare queamus, *tribus Capitibus* naturae ordinem secuti omnia
illa exempla nos comprehendere posse videmur, quorum
primum Eruditos $\Theta\alpha\upsilon\mu\alpha\varsigma\delta\varsigma$, ut *embryones*, *secundum*, ut *infantes*,
ter-

tertium, ut pueros considerandos exhibeat. DEUS hæc incepta secundet.

- a) Confer omnino *Boecleri Oration. funebr. in obitum Bernegg. habitam*, insertamque *VVitt. Memor. Philosoph. Decad. 4. p. 488.* ubi plura in præsentem materiam invenies. β) Hic propter singulare istud fatum infantia, postquam adoleverat, nomen illud retinuit, dictusque fuit *Gottfried in der Wiege. Calvis. p. c. 1144.*

CAPUT I.

De

Eruditæ Θαυμασιῶς adhuc Embryonibus.

Cum itaque animus sit illa Θαυμασιὰ sive admiranda, quæ de Eruditæ in utero materno adhuc latitantibus passim observarunt ipsorum vitæ Scriptores, hoc ipso Capite exponere, ad duplicem *Fatorum* atque *Ominum* classem ea omnia, quæ admiratione digna ex illorum Vitis hæctenus collegimus, non inepte revocari posse videntur. Per *fatum* autem hoc loco non intelligimus sensu *Stoico immutabilem & irrevocabilem omnium rerum necessitatem*, γ) aut sensu *Epicuræo temerarium atque fortuitum rerum motum*, δ) sed potius sensu *Rhetorico atque Christiano, prosperos vel adversos hominum casus*, qui etiam *fortuna* vel *infortunii* nomine alias exprimi solent. ε) *Ominis* autem nomine hac in Dissertatione nobis venit *actio alicujus hominis, vel aliud singulare quoddam Contingens, ex quo de futuris probabiliter aliquid colligitur.* Tametsi enim plurima hic à nobis adducta Eruditorum *fata* non sine *omine* fuisse facile concesserim, sunt tamen & aliæ non paucæ hic à nobis recensitæ Exemplorum species, quas si *fatis* accenseri posse dixeris, ne a propria vocis hujus significatione nimium recedas, admodum verendum, cum hæc duo ut *latius & angustius* inter se differre non difficulter possim persuaderi.

- γ) Sic *fatum* describit Stoicorum princeps *Seneca*: *Fatum, inquit, est necessitas omnium rerum actionumque, quam nulla vis rumpit. Nam & Fata jus suum peragunt, nec ulla commoventur prece, non misericordia flectuntur, non gratia, servant cursum irrevocabilem, ex destinato fluunt.* vid. l. ejus 2. *quest. nat. quest. 5.* De hoc *Fato* Stoico præter *Lipsum* consule *Thomasii Exercit. Stoic. Dissertat. XIII.* δ) Veterum Philosophorum de *Fato* sententias sparsim hinc

hinc inde collectas peculiari libro edidit *Hugo Grotius*, quem hic evoluisse non pœnitebit. Vide etiam eruditissimum *Vossium* l. II. de *Origin. & Progress. Idololatriæ* c. 44. seq. it. *Julium Serenium*, qui lib. 9. de *Fato Venetiis* anno 1563. in publicum emisit. L. *Apulejum de Mundo* pag. 75. & passim alios. s) Ita *Cicero* ad *Q. Fratr.* l. I. Ep. 4. scribit: *Uno meo fato & tu & omnes mei corruistis.*

SECTIO I.

De Fatis Θάυμαστοῖς Eruditorum embryonum.

§. I.

ATque sic his præmissis ipsos nostros *Embryones eruditos* in medium producimus, quæ varia eorum fuerint *fata θαυμάσια* (ab his enim primordia dicendi capiemus,) paucissimis, ratione scopi nostri semper & ubique habita, exposituri. Agmen verò inter eos ducat & merito quidem suo *JOHANNES GERHARDUS*, Theologus hujus ævi *de universa Christi Ecclesia ore calamoque longe meritissimus.* ζ) Hic natus *Quedlinburgi* anno superioris seculi secundo & octuagesimo patrem habuit virum *Patricium & Consularem, Bartholomæum Gerhardum*, matrem verò *Margaretham Brendesiam*, in cujus gravidæ alvo adhuc puerulus noster detentus maximum vitæ subiit periculum. Pater enim commoto iratoque animo magni ponderis fustem in bibacem servum conjecturus, prægnantis uxoris, obviam sibi forte fortuna factæ, tam graviter corpus hoc ipso afflixit, ut hoc jactu foetus tenelli jacturam omnes præfagirent. Enititur tamen mater præter spem & opinionem omnium filiolum sine percussione quidem indicio, non tamen sine singularis fati præfagio integrum atque illæsum. η)

ζ) Sie de eo judicat *Schottel. in Præfat. Harm. IV. Evangelist. D. Georg. Mæbius*, Præceptor noster venerandus, *disp. I. de Sacrif.* η) *Spizelius in Templo Honoris* p. 124. Adde *Henning. VVitten. decad. 3. Memor. Theol. p. 401. seqq.*

§. II.

Quantum porro consternatio mulierum gravidarum, præsertim si ex improvise mariti periculo subito exoriatur, ipsi foetui nonnunquam damni atque detrimenti afferat, præter publica Medicorum testimonia, experientia, optima rerum magistra, adhuc quotidie satis superque testatur. θ) Quare cum mater *DAVIDIS CHYTRÆI*, itidem *incomparabilis*

bilis

bilis! seculi superioris Theologi, 1) *maximique Polyhistoris* x) eundem in utero adhuc gestans, subitoque ob imminens mariti periculum metu atque horrore perculsa, nullam hujus consternationis notam infantulo suo inusserit, merito tanquam *fatum θαυμασὸν* à parentibus fuit observatum. Cum enim aliquando Pater Chytræi, Ecclesiastes *Ingelfingensis*, impium factum Præfecti illius loci, qui fama CAROLI Cæsaris, in Germaniam ad Lutheranos omnes excidendos perventuri, perterritus Missam Pontificiam, aliquot jam annos Ecclesia illa exulantem, in usum iterum revocaverat, publice solidissimis Scripturæ S. documentis redargueret, præfectus impotenti plane animo e sede sua profiliit, strictoque gladio suggestum terrendi Concionatoris causa percussit, præsentem & spectantem id ipsum Pastoris conjugem tum gravida: quæ mariti periculo adeo perterrita & consternata fuit, ut nec lacrymas, nec vocem ullam per horas aliquot emisit, multique ex tanta matris perturbatione male embryoni sint ominati. Sed DEUS tamen, qui in præsentissimo vitæ quoque periculo suos conservare novit, hunc foetum crudum incoctumque, quem *σπεῦθε* olim *ἐκλεκεῖν* Ecclesiæ suæ præparaturus erat, ne consternationis maternæ poenam lueret, manu sua mirabiliter protexit. λ)

§) Sic *Joh. Schenckius*, Medicus superiori seculo *Friburgi* celeberrimus, uxorem suam amisit gravidam ex incendio in vicinia de nocte suborto perterritam, vid. *Adam. in Vit. Med. p. 358.* 1) Sunt verba *Henr. Meibom. in dedicat. Chron. Riddagesbus. ad Petr. VVindruv. &c.* x) *Conring. de antiquiss. statu Helmstadi. p. 114.* ubi ejus *Chronicon Saxonicum* perquam præclarum & longe utilissimum vocat. λ) *Adam. in Vit. Theolog. 681.*

§. III.

In majori adhuc vitæ discrimine videbatur constitutus embryo CHRISTIANUS SCRIVERUS, paucis abhinc annis non sine omnium piorum luctu atque desideris ad beatissimas sedes evocatus, Theologus vel unico suo, quem thesaurum ecclesiæ reliquit, aureo ingenii foetu, quemque vero nomine inscripsit *Seelen-Schatz / de Ecclesia Christiana* immortaliter sane meritis, quippe cujus *Viri eruditam pietatem, piamque eruditionem* singulæ fere paginae istius libri loquuntur. Audiamus ipsum de duplici vitæ periculo, quod in utero adhuc formandus non contemnendum adiit, suis ut ut Germanicis verbis differentem. *Als ich noch / sic inquit ille *ἐυσεβέστα*, unter Mütterlichen Herzen ruhete / und die*

B Zeit

Zeit der Geburth biß auff etliche Wochen heran kommen war / trug sichs zu / daß meine beyden Brüder / deren der eine 8. der andere aber etwa drittelhalb Jahr / in einem Garten bey dem Hause / darinnen meine Eltern das-mahl wohnten / spielen. Weil aber in demselben ein tieffer Teich / oder Weiher / versiehet es der Kleinere / daß er hinein fället. Der älteste machet ein klägliches Geschrey / und eilet zu dem Hause und der Stuben zu / und berichtet unsere liebe Mutter / in was Gefahr das Kind schwebet / die / wie leicht zu erachten / voll Angst und Schrecken / eilet zum Hause aus / dem Teiche zu / weil sie aber durch eine Scheune mußte / darinnen eine Galesche stand / wird sie in solcher Angst des Wagens nicht gewahr / sondern laufft mit ihrem schwangern Leibe gegen die eine Achse desselben / mit solchem Ungestüm / daß sie zurück und zu Boden fället. In was Gefahr nun die Frucht hieben gestanden / und ob nicht dieselbe durch Gottes sonderbaren Schutz erhalten worden / laß ich alle verständige / gottselige Herzen urtheilen. Sie ermuntert sich aber bald von solchem schweren Fall / als die ihr selbst und ihrer Leibes-Frucht in solcher Noth vergessen hatte / und nur an ihr in Wasser liegendes Kind gedachte / stehet wieder auff / und eilet / so viel sie kan / dem Teiche zu ; Bald findet sie ihren Sohn / daß er zwar noch lebet / iedoch dem Sinken und Ertrincken nahe ist. Sie springet alsofort zu denselben ins Wasser / und ergreiffet ihn ; allein da befand sie erst / weil sie keinen Grund hatte / daß sie nunmehr nebst ihrem Kinde in Lebens-Gefahr war / darinn sie auch / weil sie das Kind halten / und sonst durch den schweren Fall / durch Angst und Schrecken entkräftet / ihr nicht helfen kunte / hätte bleiben müssen / wenn nicht meines Vatern Mutter wäre darzu kommen / welche zwar auch in das Wasser sich gewaget / doch Grund gefunden / die sie endlich ans Land gebracht. μ)

μ) Vid. ejus *Seelen-Schatz* P. III. Conc. XI. p. 1253.

SECTIO II.

§. I.

Hæc de doctorum Embryonum *fatis*. Seqvuntur jam *Omina θαυμασά*, quæ Eruditis nostris in alvo materna adhuc coalescentibus portendisse aliquid videntur, ad quæ tum *Somnia*, tum *Visiones* parentum, quas de filiis, antequam nascerentur, habuerunt, referimus.

§. II.

§. II.

Inter Oratores veteres fama maxima inclytus est PERICLES, quippe qui Atheniensibus instar Præceptoris (Διδασκάλος) fuit, sic ut ipso absente sæpe tumultuaretur concio, præfente mox mutaretur, & ad viri conspectum corrigeretur, ne illorum delicta Pericles rescisceret. Quare etiam propter hanc autoritatem suam Σχῆμα τῆς πόλεως, *urbis dignitas*, v) & propter flumen eloquentiæ Μέγας τὴν γλῶτταν *Lingua Magnus* fuit cognominatus. ξ) Hanc majestatem dignitatemque oris atque vocis suæ præsignificasse videtur *Somnium* ipsius matris, cum hunc filium suum enixura in somno vidit, se leonem parere. ο)

v) Aristides tom. III. Orat. IV. Platon. p. 197. & seqq. ξ) Philostratus *de Vitis Sophist.* p. 487. Hunc ἀνέρα κατ' ἐκείνον τὸν χρόνον πρῶτον Ἀθηναίων, λέγειν τε καὶ πράττειν δυνατώτατον, h. e. *Virum illis temporibus primum Atheniensium, & in dicendo & agendo præstantissimum*, vocat Thucydides l. 1. p. 92. Ejus in labris Veteres Comici leporem habitasse dixerunt; tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. Cic. III. *de Orat.* c. 34. Fab. X. c. 1. p. 449. Suadam Deam in hujus labris scripsit Eupolis sesitavisse. Id. in *Bruto* cap. XV. *Olympium* Poëtæ in Comœdia vocant, quod tonare in concionibus ac fulmen ciere videretur. Plutarchus in *Vitis*. ο) Suid. Simile fere somnium de Alexandro M. habuit Philippus parens, qui per quietem visus est conjugis alvo insignem affixisse bullam, cujus sculptura, quemadmodum is existimaverat, leonis haberet imaginem. Quod vates ita sunt interpretati: Ipsam quidem esse gravidam & leonis natura præditum infantem parituram. Vide *Supplem. Curt.* l. 1. c. 3.

§. III.

Ex recentiori Historia offert se nobis FRANCISCUS MAUROLYCUS, Syracusanus, insignis Mathematicus, qui etiam per Scripta sua *Mathematica*, quæ in usum publicum divulgavit, non ultimum locum inter eruditos est adeptus. Cum hoc mater gravida, antequam eum anno 1594. produceret, *somniavit*, ac si ex ipsius utero prodiret flamma, quæ cœlum ipsum peteret. Id quod satis clarum fuit præfagium, infantem illum, quem in alvo nutriret, suo tempore se totum contemplationi cœli stellarumque fore traditurum. π

π) Conf. *les Eloges des Hommes Savans par Antoine Teissier* P. I. p. 467. unde hoc transtulimus, qui etiam refert, quod eodem momento, quo Maurolycus exspiraverit, Cupressus quædam, quæ in ipsius prædio sita erat, versus terram se incurvaverit, nec nisi post octiduum se iterum erexerit, ib.

§. IV.

Non multum ab hoc diversum fuit *Somnium* matris **THOMÆ MORI**, *supremi Regni Britannici Cancellarii, Viri omnibus justitiæ numeris longe optimi atque sanctissimi.* ρ) De hoc refertur, quod mater illius nocte hac, quæ diem nuptiarum suarum antecessit, in somno viderit numerum omnium infantum, quos olim esset paritura, signatorum quasi in annulo suo pronubo. Inter hos unus erat, qui totus, quantus quantus erat, coruscare videbatur lumine, id quod filiolum istum excellentissima forma repræsentabat. σ)

ρ) Jovius in *Elog. Doctor. p. 107. in Elog. Anglor. p. 43.* σ) Vertimus hæc e *l'Academie des Sciences & des Arts, P. I. p. 46.* Aliis dicitur hic Thomas Morus Socrates Anglicus. Tanto autem ejus omnis doctrina mirabilior videtur, quod nunquam Insula egressus, se ipso usus est magistro, adeoque Græcè & Latinè profecit. Gyrald. *dial. II. de poet. sui temporis p. 405.* *Ejus est Utopia*, de qua sic censet J. A. Bos. *de compar. prud. civ. n. 81. quod sit liber maximorum Virorum judicio incomparabilis & tamdiu viturus futurusque in pretio apud homines, quamdiu justitia ipsa & modestia ac pietas non omnino in ipsorum animis & adfectibus exulabunt.* Vid. etiam de hoc libro judicium *Conring. de civ. prud. c. 14. p. 300.* Cæterum dantur certæ quædam Familix eruditæ, quæ somniis, tanquam dono sibi peculiari suæque domus proprio, fuerunt de instantibus vel futuris sapius admonitæ. Cujusmodi fuit illustris familia *Vottoniana* in Anglia, de qua unum alterumque exemplum collegit Sir Henry Votton in *Reliquis Vottonianis, or in the Collection of Lives, Letters, Poems, & with Characters of Sundry Personages. Lond. 1685. in 8.*

§. V.

Visiones vero matrum gravidarum quemadmodum sunt vigilantium, ita certius quidpiam de fatiis infantuli ad auras vitales ex utero paulo post egressuri ante diem edocere videntur. Ejusmodi visio matri **ÆGIDII HUNNII**, Theologi superioris seculi, id quod *Lucubrationes* ejus, quæ hodiernum adhuc ab Eruditis habentur in deliciis, clarissime testantur, fama pietatis atque eruditionis celeberrimi, uterum adhuc gestanti, neque vere dormienti, aliquoties fuit oblata. Videbatur sibi illa sedere in templo suo loco, & manu dextra quidpiam humo attollere, simile culmo: cumque id teneret inter anteriores digitos, cepit in tantam molem accrescere, mater vero sub eadem sic angi, sic laborare, sic afflictiari, ac si penitus succubitura esset. Cumque jam jam videretur actum, & plane se putaret interitu-

teritu-

terituram sub onere, repente vidit in templi eolumnam versum, & se onere eo liberatam. τ)

τ) Adam. in Vit. Theolog. p. 723. 724.

§. VI.

Hujus celeberrimi Theologi manibus nullam puto nos injuriam illaturos, si ipsis associemus Musarum illud delictum, JUSTUM LIPSIUM, Virum propter stupendam eruditionem suam in omni genere scientiarum fama super aethera notum, (ut Poetae verbis utar) de quo eò pauciora dicenda sunt, quod ipse videtur ad omnem posteritatem scriptis satis se illustrem toto orbe praeberit. υ) Hujus quoque infantis incunabula, quemadmodum aliorum doctissimorum hominum ortus, insolitis quibusdam signis, quae vel eadem praecesserunt, vel subsecuta sunt, ab aliorum coetu singulari nutu segregare, eumque summis rebus gerendis natum his ipsis demonstrare voluit DEUS. Quae fata singularia ipsum adhuc puerulum exercuerunt, Capiti Dissertationis nostrae subsequenti φ) illibata reservabimus, tantum hoc loco visionem illam, quam mater ejus priori nocte, antequam hunc Orbis eruditi Atlantem excluderet, jucundissimam habuit, breviter commemoraturi. Nox media ipsum edidit; cum mater (ita narrantem saepe audisse scribit) superiori proxima nocte vidisset vigilans & exsomnis duos pueros mire candidos per cubiculum inambulantes, mutuam se complexos. Interpretatio ipsi aliisque incerta. Quidam interpretantur, doctrinam & modestiam Viri hujus, qua excellit, praesignificatam. χ)

υ) Sunt verba Thuani ad ann. LIX. libr. 136. Histor. in fin. add. Miræ. de Scriptor. Seculi XVII. p. 175. ubi prolixus satis est in ejus vita enarranda, qui & praeterea peculiarem de ejus Vita scripsit Commentarium. Scriptorum ejus Synopsin habet Valer. Andreas in Bibliotheca sua Belgica. φ) Sect. I. §. 21. χ) Adam. in Vit. Philosoph. p. 465, Confer Academie des Sciences & des Arts P. II. p. 194.

CAPUT II.

POSTquam igitur Eruditos nostros θαυμασῶς primis quasi naturae lineamentis tantum adumbratos, nodisque uteri adhuc innexos constrictosque, quantum ejus fieri potuit, rimati sumus, jam propius ad sinum maternum accedimus, eosque vinculis naturalibus quidem felici Lucina solutos, sed aliis iterum ligamentis, ipsisque fasciis involutos evol-

B 3

vimus.

vimus atque expeditimus, eadem ipsorum *Fata atque Omina*, quæ observatione aliqua vel admiratione digna visa sunt, pro instituti nostri ratione brevibus perlustraturi. Sic enim ejusdem methodi legibus, quas superiori capite nobismet ipsis præscripsimus, in præsentia nos quoque adstringemus. Hoc tantum, antequam *Eruditos istos Infantes* (de his enim in præsentia capite tantummodo me acturum esse, superius *in fine Præfationis* promisi) in conspectum omnium producam, Lectorem monere volui, me *Infantiæ* non tam arctos posuisse limites, quibus alii primam ætatis humanæ partem nimium coarctant, pro ea tantum usurpantes, qua infantes recens nati, id quod ipsam denominationem velle dicunt, *nondum fari* sive loqui didicerunt, sed communio rem magisque receptam opinionem secutum, ad annum ætatis quintum vel sextum, non obstante, quod intra hoc temporis spatium balbutire, vel etiam plane jam articulate distincteque loqui incipiant infantes, eam extendisse.

SECTIO. I.

De Fatis Eruditorum Infantum Θαυμασῶν.

§. I.

Quantum vero ad *Fata Θαυμασῶν Eruditorum Infantum* attinet, primum locum non immerito assignamus FORTUNIO LICETO, ut ut homini Extero atque Italo, non ea tantum ratione permoti, quod fatum ejus admodum sit singulare, ipsique fere proprium, sed etiam quod non sit adeo ubivis obvium & apud omnes pervulgatum. Quapropter etiam rem uni alterique Eruditorum non ingrati me facturum esse censui, si admirandam ejus nativitatem atque ortum ex Gallico idiomate in Latinum fideliter transfundam. Natus hic est in littore Genuæ d. 3. Octob. 1577. hora post noctem mediam secunda in itinere, quod parentes ejus susceperant ab oppido *Recco*, ipsorum patria, ad oppidum *Rapallo*, quam sedem pater ejus ad exercendam artem Medicam elegerat. In hoc itinere præter corporis jactationem, tot difficultates ipsis, præsertim, cum præterveherentur promontorium *Portofino*, magna tempestate obrutis, fuerunt devorandæ, ut mater, quæ vix ultra mensem uterum gestasse videbatur, eodem tempore ipsum partum appropinquare persentisceret. Pater, etsi nullus dubitabat, quod partus iste nimium sit intempestivus atque immaturus,

maturus,

maturus, a matre tamen per unum alterumque testimonium persuaderi poterat, istum foetum suum, qui tamen longitudinem palmæ non excedebat, septimum mensem fere attigisse. Postquam itaque ut Medicus accuratius ipsum inspexisset, plusque in eo deprehendisset, quàm quod vulgo in embryone deprehenditur, vivum adhuc eum in oppidum Rapallo perferri curabat, ibique Hieronymo Bardo, aliisque illius loci Medicis demonstrabat. Inveniebant isti viri, puero huic ad perfectionem integritatemque vitæ nihil prorsus deesse, quare pater ejus, ut specimen aliquod experientiæ suæ Rapalli, quam sedem habitationis suæ jam modo fecerat, dare possit, ipsius naturæ opus suscipere & procreationem infantis tentare ausus est eodem artificio, quo in Ægypto excluduntur pulli. Nimirum de his omnibus, quæ hic factæ opus essent, nutricem quandam instruit, & postquam filiolum suum in furnum aliquem, ad hanc rem solenter accommodatum, ingessisset, sic feliciter res cecidit, ut ipsum educaret, & ille necessaria sibi adhuc incrementa acciperet beneficio caloris, ad gradus alicujus thermometri, aut alterius cujusdam instrumenti accurate attemperati. Hucusque verba Historici. Vixit hic in furno elaboratus infans viginti quatuor ferme annos, totidemque scriptis in lucem editis dubium reliquit Orbem eruditum, an miram ipsius nativitatem, an raras ingenii dotes plus debeat admirari. †)

†) *Traité Historique des Enfans celebres par leurs Etudes p. 270. seqq. Mich. Giustinian. negli scritt. Liguri a Cart. 223. 488.*

§. II.

Huic Italo Italum jungimus, HIERONYMUM CARDANUM, magni nominis sive Mathematicum, sive Medicum ω), quem Mediolani anno 1609. itidem partu *Ἰαυραστῶ* procreatum legimus. Nam per vim magnam ex utero materno extractus (ut ipsemet de se testatum reliquit) revixit lavacro vini: capillatus etiam, antequam natus, alter enim capillus ei nascenti fuit prælongus & crassior. α)

ω) Sunt verba *Thuani l. 62. p. 83.* qui etiam hæc addit, quod fuerit *varia ejus vita, ut mores, pluraque ipse de se, inaudita in viro literas professo, simplicitate seu libertate, scripserit. Ib.* Id quod vel ex solis, quos de se ipso satis gloriose scripsit, apparet versiculis:

Non me terra tegit, cælo sed raptus in alto,

Illustris vivam docta per ora virum.

Quicquid venturis spectabit Phæbus in annis,

CARDANOS noscet, nomen & usque meum.

Theo.

Theophil. Dassiliand. in *Descript. Urb. Ital.* p. 69. a) Thomasin. in *Elog. Viror. Illustr.* p. 55. seqq. Conf. etiam *les Eloges des Hommes Savans par Antoin. Teissier. Part. I. p. 495.* ubi eadem & plura alia lectu non injucunda de eodem referuntur. It. *Girol. Gbilini Teatro degli huomini Letterati, Part. I. pag. 115.*

§. III.

De Nostris vero in ipso partu non minus *singulare fatum* habuit LAZARUS MAYENSCHHEIN, itidem in Patria Medicinæ Doctor magnæ existimationis atque dignitatis, quem anno 1572. Norimbergæ mater, postquam jam antea decem peperisset liberos, filium hunc undecimum modo sane *Σαυμασῶ* edidit in lucem. Proxima enim partui ex uteri suffocatione vires subito perdiderat, ut etiam ab adstantibus de sepultura ejus jam sollicitis pro mortua haberetur. Quin & ipse Medicus, cujus antea consilio fuerat usa, iterum in consilium adhibitus, cum nec ex pulsu, nec ex plumis speculoque polito ori, succini vero fumo naribus admotis, nec pilorum evulsione, nec plantarum pedum cum aciculis cumpunctio-
ne vitæ aliquod indicium in matre foetuque ejus percipere potuisset, eandem vita prorsus privatam esse judicavit, interim tamen marito persuasit, ne uxorem demortuam ante triduum elapsum sepulturæ mandari curaret, cum experientia sæpius edoctus fuerit, quod mulieres ex utero suffocatae vires recuperarint. Maritus cum morem gessisset, puerpera morti jam adjudicata tertio demum die præterlapso paululum respirare cœpit, ut tamen vix pluma ori admota spiritus emissus perciperetur. Tunc clamore exorto inter mulieres adstantes, & aquis odoriferis ori instillatis eam reficere studentes, oculos illa iterum aperuit, & loqui cœpit cum omnium stupore. Mox partus etiam doloribus reversis filiolum sanum enixa est, qui die sequente S. baptismatis fonte initiatus, Patre jubente, *Lazarus* (quod nomen Germanis *Gottes Hülff* vertitur) nominatus est, Susceptore *M. Conrado Klingenberg*, ad *S. Ægydium* Ecclesiaste, non sine omni-
ne dicente: *Quia puer hic, auxiliante DEO, modo tam admirando ex utero materno prodiit, ejusdem auxilio vir evadet plurimis hominibus auxilio profuturus.* b).

b) Refert hanc historiam *Freherus in Teatro suo Virorum eruditione clarorum Part. III. p. 1338. 1339.*

§. IV.

Jamque adeo *Infantes nostros Σαυμασῶς*, quos ab utero matris adhuc calentes e sinu nutricum in manus quasi accepimus, ad ipsas comitatur

mitatur

mitamur cunas. Cumque in iis non paucos inveniamus adjacentes, qui vel *natura cæci* hoc vitale lumen nunquam usurparunt oculis, vel in primis adhuc infantiaë annis singulari acerboque nimis *fato* usum oculorum perdidere, qui tamen hoc incomparabili eruditionis solidæ subsidio destituti, nihilominus & vitæ integritate, & quod plus, & maxime a nobis hic attenditur, omnigena rerum scientia doctrinaque multis Eruditis, lynceo licet visu pollutibus, palmam dubiam reddiderunt, omnino & his *cæcis Infantibus* in *subsellis Eruditorum* *Σαυμασῶν* in *etate tenera* locus fuit relinquendus. Nimirum uti natura nunquam semper & ubique deficit, sed qui fortassis in tribuenda corporis dignitate beneque ordinata membrorum dispositione eam minus fautricem habuit, in largiendis animi ingeniique bonis, quæ omnes corporis venustates procul dubio multis parasangis post se relinqvunt, eò liberaliorem forte est expertus; (quemadmodū his ipsis præterlapsis nundinis hujusmodi hominem, utroque brachio natura destitutum, in publico hic Lipsiæ prostantem vidimus, quem eadem provida natura pede dextro sinistroque officia utriusque manus tantum non omnia tam mirifice atque expedite vicariis operis supplere docuerat, ut quisque hoc naturæ monstrum intuens in admirationem hujus rei raperetur :) ita quoque hos ipsos *cæcos infantes*, tenebris eorum, quas oculis corporeis occulto interdum consilio natura offuderat, procul abire jussis, tanta luce scientiarum cognitionisque multijugæ interdum collustravit, ut etiam res profundissimas, Cimmeriisque tenebris ac densissima caligine immerfas, imo ipsis quandoque aquilinis oculis impervias atque inaccessas hac mentis suæ acie penetrare atque ex profundissimis Orci faucibus revocare potuerint.

§. V.

Hujusmodi *Eruditi natura cæci* meminit *Johannes Posthius*, Medicus olim Heidelbergensis, nomen ejus est CAMILLUS FALCONE-TUS, Senensis patria, Poëta non vulgaris, id quod *Posthius* hoc Epigrammate testatur:

*Mæonides fuerit captus quod lumine, nullane
Historicis fateor me tribuisse fidem.
Id vero ut credam nunc, imo ut credere cogar,
Efficiunt numeri, doctæ Camille, tui.
Nam licet aterna tua lumina nocte premantur,
Tu tamen aeterno lumine digna canis. c).*

C

c) Posthius

c) Posthiius l. 2. *Epigramm.* ex eoque Adam. in *Vit. Medicor.* p. 333. Mentionem facit in hoc Epigrammate Posthiius *Homeri*, Regis Poëtarum, (uti *Plinius* eum vocat l. 7. c. 29.) qui etiam natura cæcus fuisse dicitur. At enim de hujus rei veritate recte dubitat hoc loco *Posthiius*, dubitaruntque cum eo jam dudum alii eruditi plures. Ipse sane *Vellejus Paterculus* l. 1. c. 5. *Omni- bus sensibus hunc orbem esse pronunciat, qui Homerum cæcum natum esse crediderit. Heraclides* per morbum incidisse eum in cæcitatem scripsit. Vide de cæcitate *Homeri Orat. Andr. VVilkii Lips.* 1605. editas. *Voss.* l. 1. *Instit. Orator.* p. 75. 76. Confer etiam *Bœcler. ad Vellej. Paterc.* l. c. p. 53.

§. VI.

Qui proximum ab hoc locum occupat LUDOVICUS GROTTUS, natus Adriæ, urbe maritima, quam plenam a natura acceperat, non diuturnam fatorum invidia lucis habuit usuram. Nam vix octo dierum puer (sic cæcitatem ejus ipse describit Autor infra allegans d) cujus verba e lingua Italica in Latinam vertere placuit) lumina oculorum amisit, quare etiam vulgo *Cæcus Adriæ* fuit appellatus. Nihilominus inter celeberrimos temporis sui Literatos Scriptis suis, tum in prosa tum ligata oratione a se publicatis, omnium merebatur applausum atque admirationem, præsertim cum linguæ Latinæ atque Italicæ fuerit admodum gnarus, cujus rei fidem nobis facere possunt tersissima ipsius Opera, varia doctrina hinc inde referta. Namque a natura, omnium matre, donum singulare felicissimæ tenacissimæque obtinuit memoriæ, qua semel auribus accurate percepta tam firmiter retinuit, ut vix lectione alicujus libri audita, eandem facillime iisdem fere verbis iterum recitare posset. Hinc etiam beneficio hujus memoriæ, & dum optimas quasque disciplinas familiares sibi redderet, ad summum eruditionis apicem, ad quem excellentissima ingenia unquam ascendere poterunt, pervenit, desideratum finem, quem lucubrationibus suis intenderat, semper assecutus. Neque minus admiratione digna fuit ipsius scientia in gravioribus disciplinis, uti in doctrina Logica, in qua tantum sibi acquisivit habitum, ut in argumentationibus omnes ipsi cederent, neque ullus ei contradicere auderet. Philosophiæ studio etiam tanta animi contentione operam navavit, ut brevi temporis spatio non sine insigni nominis sui fama titulum Philosophi non vulgaris acquireret. Breviter, nulla tam præclara erat disciplina, in qua non summam perfectionis laudem sibi comparaverat. Quapropter etiam (pergit Autor post pauca) insignibus hujus viri meritis Patria ipsius permota tanti semper eum fecit, quan-

quantum ingenii tam admirandi excellentia omnino merebatur. Postquam enim Societatem aliquam sub nomine *Eruditorum Illustrum* (*Accademia sotto al nome de gl' Illustrati*) instituisset, Rectorem hujus nobilissimæ Societatis *Ludovicum Grottum* constituit. d).

d) Girolamo Ghilini nel Teatro d' Huomini Letterati P. I. p. 158.

§. VII.

Per longius quidem sed tamen admodum exile temporis spatium cœlum tueri licuit *NICASIO* de *VOERDA*, *Jcto Brabantino*, *Mechliniæ* nato. Namque anno ætatis III. morbillorum acerbitate oculis captus est, & ob id quoque elementa literarum perdiscere non potuit. Postmodum tamen, cœcitate non obstante, in omni doctrina ita profecit, ut admirationi omnibus esset, & cum *Lovanii* gradum *Magisterii* accepisset, scholisque aliquandiu *Mechliniæ* non sine laude præfuisset, *Lovanii* aliquanto post etiam *Licentiam* in *Theologia* consecutus esset, *Evangelium* publice docuit. Quin & postea *Doctor* utriusque *Juris* in *Acad. Colon.* renunciatus fuit, atque libros tam *Civilis*, quam *Canonici Juris*, quos nunquam viderat, multo minus legerat, memoriter recitavit. Mortuus *Colon.* 1492. e)

e) Vide *Camerar. Hor. Subcisib.* c. 37. *Dan. Clasen.* l. 3. *de Oracul. Sibyllin.* c. 18. p. 681. & *Stephan. in Not. ad lib. 14. Saxonis Gramm. Histor. Dan.* *Freher. Theatr. P. II.* p. 798.

§. VIII.

Ex *Historia Ecclesiastica* admodum illustre *Eruditi cæci* nomen est *S. DIDYMI*, *Alexandrini*. Captus is a parva ætate oculis, ideoque elementorum quoque ignarus, tantum miraculi suis omnibus præbuit, ut *Dialecticam* quoque & *Geometriam*, quæ vel maxime visu indiget, solidissime didicerit. Plurima eruditissima conscripsit *Opera*, quibus *Scripturam S.* illustravit. f)

f) *Hieronym. de Doct. Eccles. Micrælius l. 2. Histor. Eccles. sect. 2. quest. 4.* puerum quinquennalem eum fuisse prodidit, id quod etiam affirmatur in *Traité Historique des Enfants Celebres* p. 54.

§. IX.

Unicum adhuc *Exemplum Eruditi coeci*, qui optimis literis variisque disciplinis, maxime *Theologica scientia*, fuerat excultus, adjicere placuit, *CAROLI FERNANDI*, *Brugensis*. Hic tametsi a pueris semper cæcus, & ob id quoque elementorum penitus ignarus esset

evafit tamen Orator, Poeta, Philosophus atque Theologus, ut in celebri Parisiensi Gymnasio publice sacras literas docuerit. Denique contentis omnibus in monasterium Vincentianum Ordinis Benedictini apud Cænonianos, Calafinum vocatum, est ingressus, & Apostolica benedictione Sacerdos factus. g)

g) Vide Possevin. *Tom. I. Appar. sacr. p. 298.* add. sequ. ubi ejus Scripta. Gefner. *in Biblioth. p. 162.* Alias integrum Eruditorum cæcorum catalogum contexit V Vitte *in Præfat. Diar. Biographici n. IX.* Nos tantum eos hoc loco adduximus, qui in infantia mature oculorum lumine fuerunt privati, cum alias non sit infrequens, Eruditorum maxime lucubrantium oculos in senectute caligasse. Cujusmodi ἀμελωπία nimirum studiis in ætate declivi sibi contraxerat Theodorus Bibliander, Theologus Tigurinus. Is enim cum aliquando diluculo surrexisset, hypocaustum ingressus, feli in mensa gesticulanti, ancillam suam esse ratus, faustum diem precatus est, quem felis, ut potuit, resalutavit. Adam, *in Vit. Theolog. p. 403.*

§. X.

A cunis istorum *infantum cæcorum*, quibus hactenus adstitimus, commodum avocamur jam miserabili vagitu cujusdam infantis eruditi, in prato viridi, quo forte fortuna delapsus est, molliter decumbentis. Fuit is PETRUS RONSARDUS, gente nobili in Vindonicis natus, Poeta sui temporis magni nominis & famæ. b) Non multum aberat (inquit de eo Bullart i) verbis tantum in latinum translatis) quin dies nativitatis suæ fuisset etiam dies mortis, & quod e brachiis maternis fuisset deportatus ad sepulchrum. Enimvero tamen fatum illud, quod sic colligendi materiam suppeditabat, simul erat præsagium, quorsum iste recens natus Pindarus inclinaret. Nam de manibus ejus, qui illum e paternis ædibus ad templum illius loci, ut ibi sacro salutis fonte aspergeretur, deportabat, fortuito delapsus, cecidit super gramen & flores alicujus prati, quod homo ille cum infante pertransibat, quem tamen mox puella quædam, dum iterum a terra tolleret, aqua rosacea diversisque floribus, quos juxta consuetudinem illius regionis secum gestabat, magna copia asperfit.

b) Vide de hoc plura ap. Thuan. l. 82. i) *Academie des Sciences & des Arts. P. II. P. 344.*

§. XI.

Sacer ille initiationis fons, cujus superiori membro mentionem fecimus, ad memoriam nobis redigit aliud *fatorum* genus, quod certis infantibus eruditis contigit, cum nomen iis cœlesti isthoc flumine abluendis consuetudine recepta fuisset imponendum. Singulari isthac ratione
atque

atque *Γαυμασῆν* nomen suum hoc liquore mystico more veteri expiandus
JULIUS CÆSAR SCALIGER ipsum illud naturæ miraculum, k) & cum
 nullo sui ævi comparabilis scriptor, l) accepit. Infantem enim istum *Paulus*
a Meddeburgo, qui postea Maximiliani Cæsaris beneficio fuit Episco-
 pus Foro Sempronienfium, omnium sui temporis Mathematicorum ex-
 nationis prærogativa facile princeps, cum ei salutis lavacrum impertire-
 tur, iussit nomine **JULII CÆSARIS** nominari. *Canem* imperarat pater,
 (quod lingua *VVindorum* regem ac principem notat) ut majorum suo-
 rum quasi inauguratione quadam, si potentia non posset, memoriam re-
 novaret. At *Middeburgus*, qui infantis natalem diem atque cœli faciem
 considerasset, hilariore, ut ferebant, vultu: *Canes*, inquit, *tui sua for-*
tuna defuncti sunt. Hunc dictatorem alterius fati, novi sane, caput oportet
esse. Quod ipsi Scaligero, adulto postea, & quid innueret, ignoran-
 ti, sæpe inculcavit, hisce nempe verbis: **A TE PRINCIPIUM.** m)

k) Gerhard. Voss. l. I. *Instit. Orat.* c. 3. p. 27. l) C. Barthius *XLIII. Advers.* c. 5. m)
Ex ipsius Vita, quæ continetur in *Vit. Selector. aliquot Viror.* Lond. p. 404.
 405. *Tres sunt*, inquit Lipsius, *quos admirari unice soleo, & qui in homi-*
nibus expressisse mihi rerum humanarum fastigium videntur, Homerus, Hip-
pocrates, Aristoteles, sed addo hunc quartum, qui natus in mirandum, imo
gloriam nostri ævi. l. 2. Ep. 44. ubi etiam dicit, sapientia similem videri eum
Diis immortalibus. add. ep. 46. ubi de ejus familia.

§. XII.

Huic illustrissimo Venetorum Soli nihil puto splendoris, quo uni-
 versum Orbem eruditum permeat, decessurum esse, si ipsi ejusdem cœli
 sidus haud obscurum, nempe **CASPARUM CONTARENUM**, quan-
 quam e diametro, jungamus. Habuerunt isti nobilissimi Venetorum Du-
 umviri eadem, sed ex diversis derivata fontibus, in nomine sortiendo fa-
 ta. Alter enim impositionem nominis sui admodum probabili, ordina-
 taque cœli dispositione subnixæ Viri eruditissimi debet conjecturæ; alte-
 rum vero eandem non nisi superstitosæ matris suæ religioni, omni plane
 fundamento destitutæ, acceptam ferre oportuit. Namque ea, cum ali-
 quot jam peperisset pueros, neque ii diutius viverent, ad amicas æqua-
 lesque dicitur rursus prægnans retulisse, a quibus, ut sunt pleræque mulie-
 res religiosæ, admonita esse dicitur, ut qui natus esset puer, ei nomen im-
 poneretur unum ex iis nominibus, quibus vocati ii reges sunt, qui ad Chri-
 stum **DEUM** nostrum parvulum ac lactantem venerunt: Fore enim, ut vi-
 talis esset. Cum salva igitur paucis post diebus peperisset puerum, no-

minari *Casparem* jussit, qui primus ejus familiae hoc nomine appellatus est. n)

n) Confer ejus *Vitam in Vit. Selector. aliquot Viror.* Lond. p. 155. a *Joh. Casa* conscriptam. Fuit alias hic *Contarenus* vir Patricii ordinis insigni memoria illustrique doctrina mirabilis, Reip. Venetae gravis ac prudens Senator, Philosophus ac Theologus eximius. *Miræ. de Scriptor. Seculi XVII.* p. 38. ubi & scripta ejus.

§. XIII.

Ex alio erroris fonte, oblivione scilicet mulierum, nomen suum sortitus est **URBANUS REGIUS**, Theologus Augustanus, superiori seculo primarius, quippe de quo vivo *Magnus Erasmus* hoc tulit judicium, *quod sit vir candidus, prudens, facundus, eruditus, in summa, omnibus omnium Gratiarum ac Musarum dotibus praeditus.* o) Hujus mater puerpera cum mulierculis baptismatis fonti infantulum oblaturis suggestisset, ut nomen in fastis natali ejus inscriptum imponerent, illae, dum abeunt, obliviscuntur. Sacerdote postea nomen puerulo imponendum exquirente, cum illae haesitarent, & ipse *Urbani* diem haud procul abesse subjiceret, arripit hoc fuit, infantique inditum. p)

o) *Erasm. l. 2. Epist.* p) *Adam. in Vit. Theol.* p. 70.

§. XIV.

Interdum etiam juxta sortes *infantibus eruditis* nomen datum fuisse legimus. Hinc cum *Lactantio Oddo Urbinati*, cohortis militum Urbinatum Duci, pridie Idus Octobris anni M. D. LXIX. natus esset filius, (quideinde in disciplinis Mathematicis, adultior factus, magnam eruditionis famam est assecutus) ipseque incertus esset, quo eum nomine appellaret, placuit rem totam semel atque iterum ad sortem rejicere, atque plures in urnam sortes variis nominibus scriptas, injecit, ut quod nomen exisset, id puer, tanquam coelitus datum, obtineret; atque bis forseducta est, in qua *Mutii* nomen erat inscriptum: itaque appellatus est **MUTIUS**, atque alendus nutrici traditus, quae filiam utroque lumine captam ediderat; quo factum creditur, ut ille vim longius aspiciendi amitteret. q)

q) *J. N. Erythraei Pinacotheca Imaginum P. I.* p. 174.

§. XV.

At ista quidem haecenus a nobis recensita Eruditorum fata fuere quidem *Savvasa*, nondum tamen cum infantulorum vitae periculo conjuncta, sed quos jam proposituri sumus mirabiles fortunae casus, ipsum re-

nel-

nellum jugulum nostrorum *Σαυμασῶν* quasi petere videbantur. In hujusmodi vitæ discrimine constitutum fuisse legimus PETRUM MOLINÆUM, nobilem illum Gallum, in ætate tenera. Cum enim famosa illa Bartholomæana internecio, qua Carolus IX. Protestantes Proceres ad nuptias sororis suæ, Margarethæ, cum Henrico, Navarrae Principe, congregatos trucidaverat, Galliam universam pervaderet, Joachimo, Patri hujus Molinæi, interfectores fugienti, vix licuit liberos suos quatuor infantes Ruffinæ cuidam e vicinia, Romanæ religionis mulieri, quæ famula ejus quondam fuerat, servandos committere. Ruffina infantes sub lecti lodice occultavit. Petrus vero nondum quatrimum, loci incommoda ægre ferens, ejulavit. Statimque percussores, jussi neque sexui neque ætati parcere, infantes perquisitum venerunt. Ruffina ne pueruli ejulatus audiretur, stanneam & æream supellectilem, quasi aliud agens, de forulis dejecit, strepitum clamosa vociferatione augens, & vasa collisa ita recolligens, ut magis collideret, donec sicarii abscederent. Vix pedem domo extulerant, quum ad infantes Ruffina accurrit, Petrumque seminecem a certissima morte liberavit. Quippe Hestera septennis, periculi ab istis hominibus gnara, Petri ejulantis os manu occludens paulum abfuit, quin sedulitate sua præfocasset. r)

r) Vide de hoc plura in Vita ejus, quæ habetur in *Vit. Selector. aliquot Viror.* p. 697. 698.

§. XVI.

Cæterum quod alias in proverbio dicitur: *Procul a Jove, procul a fulmine*, hoc optime in semet ipsum applicare potuisset HIERONYMUS FRACASTORIUS, Veronensis, Medicus, Philosophus, Poëta & Astrologus insignis, unica tantum vocula immutata: *Procul a matre, procul a fulmine*. Nam dum ipse inter brachia matris suæ placide acquiescit, ipsa cœlitus fulmine prostermitur, filiolo suo incolumi prorsus atque illæso. s)

s) Confer *Ghilini Teatro d'buomini Letterati* Part. I. p. 119. *les Eloges des Savans*, P. I. p. 81. *Freher. Theatr. P. III. p. 1234.*

§. XVII.

Quemadmodum vero huic a sola matre vitæ periculum imminabat, ita FRANCISCO ROALDESIO Gallo, Medicinæ postmodum Doctori, tota familia mortem minabatur. Cum enim adhuc in cunis decumberet, accidit, ut cum pestis, qua integra Patris sui domus erat infecta,

cta,

sta, & patrem & matrem ejus cum omnibus simul domesticis extingue-
ret, iste tenellus infans, præter spem totius vicinæ, ab hoc malo incolu-
mis salvusque servaretur. t.)

t) Sunt verba a nobis translata du Monf. Antoin. Teisier in libr. *les Eloges des
Hommes Savans P. II. p. 90.*

§. XIIX.

Hujus lateri non immerito propter similitudinem *Fati* ex nostra-
tibus jungimus parvulum JUSTUM JONAM, Theologum postea de
Ecclesia Christi tempore Reformationis superiori seculo insigniter meri-
tum, qui itidem a peste mirabiliter singulari DEI providentia fuit conser-
vatus. Nam cum pater ipsius peste esset correptus, & cepe abscessui ali-
quando removisset, idque in scamno deposuisset, supervenit hic *Justus* fi-
liolus admodum puer, & cepe totum avide devoravit, citra tamen ullam
contagionem. u.)

u) Adam. in *Vit. Theolog. p. 258.*

§. XIX.

Duobus illis *Fatis mirabilibus*, quibus statim in ipsa *infantia*, ut
a parentibus fuit observatum, bis de vita periclitatus, bis conservatus est
HENRICUS BULLINGERUS, Helveticorum Theologorum superio-
ri seculo facile princeps, & Confessionis illorum post *Zyvinglium* atque
Oecolampadium propugnator acerrimus, eadem, qua Duumviri supe-
riores laborarunt, annumeratur pestilentissima lues. Primum enim
peste correptus, visus est animam agere; sed præter opinionem eorum,
qui funus curaturi venerant, revixit. Deinde cum parvulus fistulam in-
flans puerili modo luderet, inter currendum lapsus, adeo illam graviter
gutturi impegit, ut exanimis jacuerit, & quinque diebus cibum nullum
admiserit. x.)

x) *l. c. p. 476.*

§. XX.

Dum duplicis fati, quod huic infanti Theologo peculiare accidit,
hic mentionem facio, commodum mihi aurem iterum vellicat beatissi-
mus meus, omnique mea laude superior, CHRISTIANUS SCRIVERUS,
quem supra jam y) benignitatem numinis divini pro sui in utero materno
adhuc existentis admiranda prorsus conservatione gratissima mente præ-
dicantem auscultavimus, jamque ut non minus singularia duo *infan-
tiæ* suæ fata, quibus DEUS manifestissime ipsum protexit, paucis com-
memo-

memo-

memorantem audiamus, benigne rogat. Audiamus: Als ein halb Jahr nach meiner durch Gottes Gnade glücklichen Geburth / mein lieber Vater an der damals grassirenden Pest-Seuche / nebst 2. Töchtern / und dem (oben erwehnten) jüngsten Sohne / nach Gottes unwandelbaren Rath / diese Welt gesegnet hatte / ward auch endlich die liebe Mutter / an deren Brüsten ich lage / von derselben ergriffen. Ob nun wohl sie gefährlich darnieder lage / und ihrem Bericht nach / die Milch / so ich aus ihren Brüsten gesogen / geringe / und wie ein blaues Wasser anzusehen war / daß auch die / so um sie waren / urtheilten / das Kind würde mit Absaugung des Giftes die Mutter retten / und das Leben einbüßen / so hat doch abermahl die liebe Gottes ein Wunder erwiesen / und gezeiget / daß wie ein erwachsener Mensch nicht allein vom Brodt / also auch ein Kind nicht allein von der Milch lebet / sondern von einem ieglichen Wort / das durch den Mund Gottes gehet. Im fünfften Jahr meines Alters (pergit laudatus Autor) gerieth ich durch kindliche Unvorsichtigkeit in meiner Vater-Stadt abermahl in Lebens-Gefahr / indem ich in das schnelle Wasser / so eine Mühle treibet / hinein fallend / etliche Häuser vorbei vom Strohm fortgerissen / nunmehr zu sincken und zu sterben begunte. Es hatte aber die Güte Gottes ein anders beschlossen / und schickte ein Weib / welche Wasser zu schöpfen kommen war / die mich heraus ziehen / und meinen Eltern / doch halb todt / wieder liefern mußte. z)

γ) Cap. I. Sect. I. §. 3. ε) loco supra cit.

§. XX.

Nec terminos *infantiae nostrae*, quos nobis in hac Dissertatione supra fiximus, egressus videtur FRANCISCUS PETRARCHA, doctissimus ille Italorum Poetarum Homerus, *cum quo erigere caput, & ad priscorum auctorum exempla oculos attollere coepit doctrina vere liberalium studiorum.* 1.) cum nempe in tenera ætate itidem fluctibus alicujus torrentis abreptus, jacturam ferme vitæ fecisset. Non multum enim aberat, quin Pater ejus flumen *Arnon* aliquando trajecturus in flumine isto perire vidisset id, quod habebat pretiosissimum, quod equus illius hominis robusti, qui ipsum cum tenello Petrarcha, brachiis suis insidente, fluvium transmittere susceperat, sub ipso desideret. Quo factum, ut infans iste rapidissimis quidem aquarum fluctibus involveretur, sed tamen singulari DEI auxilio, qui curam hujus pignoris sibi a parente commisit in se susceperat,

D

perat,

perat, in præsentissimo vitæ periculo sustentatus ex undis iterum salvus & incolumis extraheretur. 2.)

1.) C. Barth. LVII. *Advers. c. II.* 2.) Vide *Bullart in Academie des Sciences & des Arts P. II. p. 312.* ex qua hæc mutatis verbis mutuati sumus.

§. XXI.

Quas vitæ insidias alterum Elementum Aqua duobus istis Eruditis struxerat, has pari ratione, in securiori quanquam, ut putatur, Elemento, Terra nimirum, strui sibi sensit JUSTUS LIPSIUS, supra jam 3.) in numerum embryonum *Σαυμασῶν* non sine decentissima nominis sui veneratione a nobis cooptatus. Puer quadriennis egressus domo ad vesiculam levandam, videt nives (media hyems erat) in colliculum utrimque, ut via media esset, scopis aggestas. Conscendit, in faciem cadit, spirandi impos, & jam suffocandus, nisi ancilla, quæ superne verrebatur, bono fato eum respexisset, & erectum servasset. Interjecto tempore, cum domus repararetur, per tabulata & machinas fabrorum lusitatis decidit *quindecim pedum* altitudine cum sodali suo, qui crus sibi frangit, ipse caput & sinistram aurem leviter lædit. Tutela ejus genius fuit, & quod cingulo sericeo suspensus in pertica hæsit, donec eo soluto caderet, sed ictu molliore. 4)

3) Cap. I. Sect. 2. §. 6. 4) Adam. in *Vit. Philosoph.* p. 465. J. N. *Erithr. in Pinacotheca Imaginum* Part. III. p. 6. paulo aliter fere hæc *Lipsii* infantis fata describit, quem vide.

§. XXII.

Hoc posterius fatum *Lipsius* commune fere habuit cum JOHANNES PAULO NAZARIO, Italo, Theologiæ Doctore & ex sacro Ordine Dominicanorum. Hic quoque per omnem vitam ab initio natiuitatis usque ad finem vitæ suæ variam diversamque semper est expertus fortunam. Quale prodigium supra caput ejus, dum aqua mystica inflans lustraretur, adfiterit, paulo post 4) audiemus. Jam modo, quam miraculose in tenera ætate, ipsaque adeo *infantia* sua (*fanciullezza* habetur in Italico) morti proximus a Deo fuerit servatus, si modo verbis Historici, quem *κατὰ πόδα* versione nostra sequimur, fidendum, exponemus. Cum iste puer in eo esset, ut a scalis aliquando descenderet, neque observasset eas vetustate esse jam corrosas peresasque, improvise quidem ab iisdem decidit, eodem tamen momento statim ipsi apparuit quædam mulier, candidis induta vestibus, quæ collo manibus substratis ipsum

ipsum

ipsum tamdiu sustinuit, donec quidam accurrentes lapsum iterum sustulerunt, matrique suæ attulerunt, quæ dolore ferme insana, quoniam eum plane extinctum esse crediderat, postquam omnes corporis partes oculis tactuque perlustrasset, ipsum deprehendit incolumem. Quæsitus ergo puerulus de isthoc facto, qua ratione a supra descripta muliere exceptus fuerit, enarrat. Fertur iudicium, hanc mulierem fuisse *B. Mariam Virginem*, quippe cuius imago sub scalis illis fuerat depicta De qua interpretatione quid sit sentiendum, liberum Lectori relinquimus. 4).

4) Sect. II. hujus Capituli, §. 2. 5) Girolamo Ghilini *in Teatro d' Huomini Letterati P. II. p. 149.* Idem ferme fatum de *Johanne Banerio*, summo Regis Sveciæ militiæ præfecto, refert Pufendorffius. *Prima pueritia inquit, in arce Herningshormensi præalta e fenestra prolapsus nihil noxa senserat. Ipse referebat, a viro candidis vestibus amictu ulnis se exceptum ac placide in terram depositum, inde divinitus ingentibus rebus servatum & Gustavus Rex & cæteri ominabantur. in Histor. Rer. Suec. l. 13. §. 15.*

§. XXIII.

Periculosior videtur fuisse lapsus infantis *MATTHIÆ PASORIS*, celeberrimi sui temporis *Academiæ Græningensis* Professoris Theologi. Parentes enim ejus hunc filium suum primogenitum a nativitate studiis sacris destinasse legimus voto peculiari, quod in ipsius infantia, cum ex lapsu moriturus videretur, Deo nuncuparunt.

6) Freher. *in Teatro P. IV. p. 1545.*

SECTIO II.

§. I.

Sed mittamus tandem *fatalem* illam infantum *Σαυμασῶν*, qui præclara rerum cognitione atque scientiis animum excoluerunt, catervam, ad alteram illam puerorum societatem, qui in *infantia* adhuc vel ipsimet, vel Deus quandoque de iis, variis *admirandis ominibus* & portentis, quales olim futuri sint, parentes aliosque, qui attenderunt animum, præmonuerunt, pedem promoturi. Inter hos *ominosos infantes* eminet & sanguinis & virtutis nobilitate, velut inter stellas luna minores, *JOHANNES PICUS MIRANDULA* *Eruditorum hominum consensu Phœnicis nomen adeptus* 7) quippe quem ipse supremus Eruditorum arbiter *DEUS*, prodigio haud parvo nativitatem ejus insigniens, vulgarium hominum sorti exemisse videbatur. Visa enim circularis flamma

est supra parientis matris astare cubiculum, moxque evanescere, fortasse nobis insinuans, orbicularis figuræ intellectus perfectione simillimum eum futurum, qui inter mortales eadem hora proderetur, universoque terræ globo excellentia nominis circumquaque celebrandum, cujus mens semper cœlestia ignis instar petitura esset, cujusque ignita eloquia, flammata menti consona, Deum nostrum (qui ignis comburens est,) totis viribus quandoque celebratura, sed statim obtutibus hominum, ut illa evanuit, occulenda. 8).

7) Jov. l. 2. histor. p. 36. 8) Ex ejus vita *Vitis Selector. Viror. Londin. inserta* p. 90. 91. Confer etiam *Monum. Illustr. Viror. a Zyllo vulgat.* p. 66. ubi p. 67. hoc ejus, quale *Florentia ad D. Marcum* visitur, exhibetur Epitaphium:

Johannes jacet hic MIRANDULA, cœtera norunt

Et Tagus, & Ganges, forsitan & Antipodes.

Confer etiam *Traité Histor. des Enfants celebres* p. 76. & *Mabilon Musei Italicæ* Part. I. p. 178.

§. II.

Tale ostentum infantia observavit etiam Parochus ille, JOHANNEM PAULUM NAZARIUM, cujus infantia fatum singulare paulo ante 8) exposuimus, sacro salutis lavacro more veteri tincturus. Vidit enim supra caput Infantis *Crucem* quandam, unde prædixit, eum futurum esse Religiosum seu Monachum. 9)

8) Cap. II. Sect. I. §. 22. 9) Girolamo Ghilini nel Teatro d' huom. Letterati P. II. p. 149.

§. III.

Neque tantum ex hujusmodi prodigiis, providentia DEI singulari manifestatis, optima quæque de suis Christianorum liberis Parentes ipsorum vel alii rerum observatores colligere, & de futuris certissime quasi conjicere potuerunt; sed & gentilium liberorum se providam curam gerere, his ipsis *portentosis ominibus*, qualia non raro in sua recens nata sobole deprehendere gentiles, ad oculum demonstravit, ipsosque simul, tanquam invitamento quodam extraordinario, ad sui agnitionem allicere voluit DEUS. Quale *somnium* mater *Periclis* de hoc suo filio habuerit, supra jam 10) docuimus. Hic vero non a scopo nostro alienum esse duximus, si par quoque eruditissimorum in tota Græcia Virorum, PINDARI nimirum & PLATONIS, in *infantia sua* non minus, quam superiores, *Σαυμασῶν*, gregi Christianorum filiorum adjungamus, quos non immerito conjungimus, non tantum quod uterque principatum, alter quidem elo-

eloquentiæ numeris ligatæ, alter vero solutæ, simulque Philosophicæ cognitionis suo tempore habuerit, sed quod plane idem de iis cum adhuc in cunis jacuerint, singulare recenseatur monstrum. PLATONI enim cum in cunis parvulo dormienti apes in labellis confedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore: ita futura eloquentia provisa in infante est. PINDARO vero sedentes suavi in ore apes ceram formabant, sapientis indicem cantilenæ. 12)

10) *Cap. I. Sect. 2. §. 2.* 11) *Cicer. I. de Divin. c. 36. & Val. Max. l. I. c. 6. Inde Obvenus. l. II. p. 156. Quæ primum in labris pueri sedere Platonis, in libris resident usque Platonis, apes.* 12) De Pindaro vid. *Quintilian. l. X. c. 1. 447. it. Horat. Od. II. l. IV. Carm.* De utroque vero confer prolixè *Boscler. de Scriptor. p. 7. & 16. seqq.*

§. IV.

Cum autem Infantes vix primum ex utero materno egressi a fletu atque ejulatu vitam suam auspicari soleant, communis sortis humanæ, suarumque calamitatum certissimi quasi vates, hoc in primo HELIÆ PUTSCHII, Antverpiani, Philologi de literis elegantioribus sub finem seculi superioris optime meriti, ortu tanquam memorabile fuit observatum, quod vix in lucem editus infans riserit, manumque dextram quasi lætabundus supra caput elevaverit. Fuerit hic sane risus amabilium *Helie* morum, quos in illo jam adultiore probabant, quotquot eum norunt, præfagium, vel indicet etiam derisionem rerum in ipsius animo extituras, quas plerique mortales magni æstimant, cum a sapientiæ studiosis fere risui habeantur, vel quomodo quisque hoc ostentum velit interpretari. Quam docile porro & capax fuerit ingenium sortitus, vel inde mihi quis æstimet, quod nondum *bimulus* precationem Dominicam sine hæsitatione memoriter recitare, sive, ut Græcorum utar verbo, ἀποστοματίζειν potuerit. 13)

13) *Adam. in Vit. Philosoph. p. 457. 458. it. Antoin. Teissier en les Eloges des Homm. Sav. P. II. p. 389.*

§. V.

Ast tam blandissimo risu decem mensium fastidia matris suæ, quibus filium in utero gessit, non absterit CONRADUS CELTES *Protucius*, facundissimus secundi retro seculi Poeta, propter quam etiam fundendi carminis peritiam, suafu & ductu *Friderici*, Ducis Saxoniae, coronam Poeticam a Cæsare obtinuit, primusque esse dicitur, qui hujus dignitatis titulum & insignia inter Germanos gessit, cui *Maronis* illud non incommode acclamaveris:

D 3

Incipe

Incipe parve puer risu cognoscere matrem. 14)

Infans enim incredibiles vagitus edidit, butyroque & mellis favo ægre iterum est sopitus. Cujus rei responsum hoc a nutricibus datum est, magna fama & facundiæ virum fore. 15.)

14) Virgil. *Eclog. IV. p. 60.* 15) Adam. *in Vit. Philosoph. p. 29.*

§. VI.

Alia magisque adhuc fatidica ratione in infantia vagiens fuit tranquillatus GUILIELMUS CANTERUS, Philologorum superioris seculi neutiquam postremus. Hic quo studio futurus esset, statim a nativitate sua præfagio nequaquam ambiguo declaravit, utpote qui dum infans adhuc sinu nutricis hæreret, nulla re magis delectaretur, quam libris, & si quando in vagitum solutus esset, nullo solatio citius, quam libro aliquo manibus tenellis oblato placari posset; librosque dum contrectare atque volvere concederetur, facile omnis incommodi atque molestiæ oblivisceretur. 16)

16) Ad. *in Vit. Philosoph. p. 272.* Conf. etiam *les Elog. des Sav. p. 482.*

§. VII.

Latus hujus optimi Philologi alius quispiam Eruditus, MARTINUS CRUSIUS, itidem superioris ævi Philologus, in elegantiori literatura apprime versatus, tanquam *infans ominosus* claudat. Is enim scribendi studii, quo adultior factus postmodum inclaruit, argumentum edidit in infantia, quando etiam tum, cum nondum erecto corpusculo incedere posset, τετραποδῶν digito in pulvere vel arena figuras, tanquam literarum characteres, formare a matre observatus fuit 17.)

17) Ad. *in Vit. Philosoph. p. 492. 493.*

§. VIII.

Quemadmodum vero ad disciplinæ Mathematicæ culturam, postquam firmior factus esset, animum adjecit PETRUS GASSENDUS Gallus, circa medium hujus seculi Philosophus & Mathematicus *in signi doctrina & suavissimis moribus excultus*; 18) ita certam quoque in viridi adhuc ætate hujus inclinationis & propensionis suæ dedit significationem. Nam cum primum firmato gressu domo egredi *quadriennis* valuit, vel coætaneos inter concionatorem est imitatus, vel solus in multam noctem cælo sudo serenoque Lunam & sidera contemplatus est, non sine metu parentum, multa sollicitudine puerum jam in cunis astrorum studiosum quæritantium. 19)

18) Au.

18) Autor *Vita Hobbes*. p. 15. edit. 40. 1682. 19) E Dissert. *Sorber. de Vit. ac Mōr. Pet. Gassend.* inserta *VVitt. Memoriis Philosoph. dec. VI. p. 202.*

§. IX.

Neque minus omen *εὐφύας* atque rarioris indolis, felicissimæque memoriæ argumentum interpretati sunt parentes CASPARIS BARTHOLINI, Philologi, Doctorisque Medici scriptis suis cedro dignissimis æternitati jamdudum consecrati. Natus enim *tres* annos libellum, quem vocant, Alphabetarium & præcipuas religionis Christianæ partes comprehendentem decursu *quatuordecim* dierum, non tantum accurate legere didicit, sed etiam penitus memoriæ mandavit. Et quod magis mirere, cum BARTOLINUS iste jam primum fari inciperet, integro prope anno vocibus usus est diversissimis ab his, quas tenellis suis auribus aut a parentibus, aut a nutrice, aut ab ullo magistro hauserat. Cujus rei testes auriti fuerunt, viri quidam docti & linguarum periti, qui etiam expensis diligentius vocibus, quibus Bartolinus adhuc puer utebatur, certo deprehenderunt, quod vocum istarum non paucæ cum lingua Hebræa exacte convenirent. Disputent jam Platonici, hoc documento sive usi, sive abusi, quod linguæ scientiæque non tam improbo labore acquirantur, quam hominibus connascantur. Prodeant quoque, qui huic fundamento suam illam superstruant sententiam, homines sibi relictos, nec certa lingua ab ullo magistro imbutos, natura duce Hebraice loquenturos. Nobis certe cum his aut illis in arenam descendere non vacat. 20.)

20) Confer plura de hoc in *Oratione funebri* post mortem ejus habita, quæ legitur in *VVitt. Memoriis Medicorum* p. 51.

§. X.

Cæterum quod JOACHIMUS MYNSINGERUS, Juris anstitutum superiori seculo facile princeps, *cum dente* natus fuerit, 21) quodque JACOBUS AUGUSTUS THUANUS, *illustre illud Gallia fidus* 22) *nostrique temporis incomparabilis Historicus* 23) a primis infantiaë annis usque ad finem vitæ ab omni pulte abhorruerit, 24) itemque quod SIXTUS OELHAFIUS, Secretarius Moguntinus & Cæsareus, lacte caprino fuerit educatus, cum potum alium degustare non posset, nec etiam ad annum usque vigesimum ætatis suæ quidquam carniū comederit 25) etiam si fortassis ista omnia omine non caruerint, tamen cum nihil certi exinde facile quis colligere possit, leviora esse duximus, quam ut iisdem prolixius immoremur. Quare etiam tantum horum mentionem hic fecisse sufficiat.

21) Adam

§. XI.

Atque sic concione *infantum* *Γαυμασῶν*, qui maxima rerum scientia immortalem nominis sui famam sibi etiam post cineres acquisiverunt, iterum dimissa, *pueri* nostri eruditi, non minus atque illi variis Factorum generibus omnibusque de futuris vaticinantes, in scenam essent producendi. Verum cum tanta puerorum horum *Γαυμασῶν* sit multitudo atque copia, ut numerum embryonum infantumque Eruditorum, quos hucusque vidimus, non tantum adæquet, sed etiam adhuc superet, cum tua L. B. venia liceat hic, ne immoderata rerum mole ad nauseam fastidiumque palatum tuum irriteremus, nosque ipsi, Dissertationem Academicam, non integrum librum de hac materia scripturi, brevitatis nobis præscriptæ terminos temere transiisse videamur, cortinas hinc aulæumque Theatro nostro obducere. Promittimus tamen sanctissime, nos prope diem pueros illos eruditione fatisque admirandis clarissimos, tanquam tertium Scenæ nostræ, qui adhuc restat, actum, si Deus nobis vitam modo sanitatemque sartam tectamque conservaverit, exhibituros esse. Ad quam rem eo maturius deproperandam immensa nobis addentur abs te calcæria, si hunc qualemcunque primum secundumque actum tua approbatione non indignum judicatum esse deprehenderimus. DEO vero T. O. M. gratiis pro concessis viribus humillime solutis, Eruditos nostræ Patriæ, quin & totius Reip. Literariæ, ulterius commendamus.

Anchora de proa jactur, stant littore puppes.

In *Præf. p. 1. l. 14.* pro hoc Universo, quicquid est, leg. hujus Universi, quotquot sunt, incolas optime.

I. *Historia Literaria Erudito quatenus tali, magis est necessaria, ipsique plus affert emolumenti, quam Historia Civilis.*

II. *Notitia librorum magna pars eruditionis est.*

III. *Pauci dantur Φιλόσοφοι, πάνσοφος plane nullus.*

IV. *Carmina nostri seculi funebria, nuptialia &c. miserandam illam factorum sortem, quam ut plurimum experiuntur, si non omnia, tamen plurima, mereri videntur. Nam*

V. *Inter tot Germaniæ nostræ Rhythmicorum millia perpaucos proprie numeraverit illa Poetas. Ratio est in promptu. Nam*

VI. *Tersum Germanicum tantumdem ingenii, lectionis studii, doctrinaeque requirit, quantum vel Latinum vel Græcum.*

S. D. G.